Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2609

Quelle:
Copyright:

ratus consequendum. Eadem in fine Subscriptio. Quaestio porro determinanda est: *Utrum sanctificare sabbatum paciatur actuale peccatum, conuiuia et opera negociorum.* De *Johanne Himmel* s. *Coeli* ad D. *Stephani* Canonico adi *Scriptt. Univ. Vien. P. I. Sec. I.* p. 126. Doctoratu insignitum fuisse ante an. 1437. inde conficitur, quod h. a. Rectoris Academiae munere secundum fungens in *Locheri Spec. Acad.* dicatur *S. Theologiae Professor*, cum in primo hoc magistratu an. 1425. tantum *Baccalaureus* adpelletur.

IX. *fol.* 208. *In nomine dei summi Incipit prologus beati Jeronimi presbiteri in librum virorum illustrium. Romano dextro Jeronimus salutem in domino. Hortaris dexter* &c. In hoc *Prologo*, ubi *J. Alb. Fabricii* editio *Hamb.* 1718. f. legit: *pessimum, ut dicitur, magistrum memetipsum habeo*, noster ait: *per animum, ut dicitur, magistrum memetipsum exercere jubeor.* Quam differentiam nemo των Σχολιαστων, quos quidem excitat *Fabricius*, adnotavit. *Prologum* excipit Scriptorum *Syllabus* a *Petro* ad ipsum *Hieronymum* pertingens, cui statim subnectitur *Gennadianus*, in quo, ut solet, non comparent *Hieronymus, Caesarius Arelat. Sidonius*, et 7. ultimi Scriptores, qui ex *Fabricio* suppleri possunt. Hos *Syllabos* sequitur *Liber Hieronymi* et *Gennadii* hac solum rubrica interjecta: *Hucusque Jeronimus abbinc Gennadius massilienſis presbiter. Cap. 136.* Mendis multis uterque scatet; non deest tamen hinc inde lectio, quam prae *Fabriciana* adoptes. Ita in *Cap. Pauli* malit quis: *a Nerone toleratum*, quam, *dimissum*, et in *Gennadii* C. 1. sub finem: *cum suis finibus subjecta*, quam, *cum suis subjecta* &c.

X. *fol.* 235. Anonymi *Catalogus scriptorum Ecclesiasticorum* absque titulo. Prooemium incipit: *Scriptorum illorum, qui virorum illustrium conscripsere Catalogum pro posse sequentes* &c. Sequitur *Elenchus* 118. Nominum a *Telesphoro* Papa ad *Rutpertum*; Opusculum vero ipsum in *Aribone* n. 106. deficit. Desunt itaque: *Huchaldus, Wilhelmus Abbas, Dietgerus Abbas, Udalricus Can. Meginhardus Ep. Ponizo. Deusdedit Card. Gothscalcus Mon. Placidus. Geraldus. Gerandus* et *Rutpertus*; sed Cl. *Bern. Pezius* integrum e *Cod. Mellicensi* ad calcem *Bibliothecae* suae *Benedictino Maurianae Aug. Vind.* 1716. 8. in lucem protulit, et ex eo *Fabricius* in *Biblioth. Eccl.* p. 141. repraesentavit. Si de Autore conjectare licet, fortassis is est *Arnoldus* seu *Arnulphus* ex Regulis seu Comitibus *de Cham et Vohburg* oriundus, quem *D. Haimerami Reginoburgensis Praepositum* compellatum *Aventinus* in *Summario L. V. Annal. Boj.* tradit sub *Henrico* IV. Imp. librum *de Ecclesiasticis Scriptoribus* condidisse. Alia hujus Viri Scripta in *Bibl. med. et inf. Lat.* v. *Arnoldus* a *Fabricio* adferuntur; praesentis tamen nulla fit mentio.